

1529

mandaverat, ut enixe Pontificem ad firmandam inter omnes concordiam adhortaretur, quo tandem ex tot ærumnis, & calamitatibus Christiana emerſa Respublica in optatum tranquilitatis portum se reciperet: id ejus muneris, quo in terris fungitur, esse; hoc uno perpetuam sui nominis famam ad posteros transmissurum.

Hæc quamvis a Venetis agerentur, plurima tamen adhuc suspicionum semina serebantur, ex quibus haud facile erat, quo loco tandem res evasuræ forent, conjicere. Nam Cæsar se in Italiā venturum vulgaverat, atque ad illud iter confiendum classem summo studio instrui jufferat. Ferdinandus frater Oeniponte magnum militum delectum habebat, conventibusque per Germaniam vocatis, subsidia impetraverat; quæ licet, ut Turcarum Imperatori, qui Pannoniis imminebat, obſifteret, cogi rumor erat; tamen ea conditione illa obtinuisse ferebatur, ut etiam, si opus foret, in Italiā mitteret. Quocirca Senatus saepius Francisci Gallorum Regis animum ad instaurandum exercitum inflammare, suas copias augere, novos præfectos, ac duces diligere, classem in promptu habere; tum, ut si hostis in Italiā Cæsar accederet, illius adventus prohiberi posset; tum, ut transacta hyeme Mediolanum communi consilio oppugnaretur. Interim cum in dies rumor de Cæsarīs in Italiā adventu magis augeretur, Ferdinandumque in Venetorum fines moturum haud vulgaris opinio effet, quæcumque ad Reipublicæ fines tuendos, atque ad oppugnandos hostes necessaria erant, sedulo parabantur. Cæsar Fulgosius levioris armaturæ equitatus præfectus a Senatu deligitur, stipendio ad mille ducentorum aureorum numerum adacto. Annibal Fulgosius, qui nuper, cum ab Hispanis Ticini captus fuisset, sese ex servitute redemerat, atque omnem suspicionis notam a se coram Senatu repulerat, pedestris præfecturæ honore insignitus, atque ut quingentos Corsicæ gentis Reipublicæ stipendiis militaribus adjiceret, injunctum. Farellus item Ravennas, Aventinus Friapanes Veronensis leviorum equitum præfeci declarati; illi, ut centum quinquaginta; huic ut centum equites compararet, mandatum. Ad hæc, cum jam tempus, quo Urbini Dux Reipublicæ stipendia merebat, confectum effet, denuo Imperator terrestrium

copia-

*Classis instruclio ad
Cæsarem in
Italiā ad-
venbendum.*

*Senatus
ad Galliæ
Regem suau-
ſio, ut exer-
citum in.
ſtaurat.*

*Venetorum
bellici appa-
ratus.*

*Urbinas
in imperio
Venetarum
copiarum
confirma-
tur.*